



Psalmi Davidici IV.

PROPEMPTICI LOCO,  
 APPRECIATIONE FAUSTA  
 ET FELICI PROSEQUENTES  
 iter Allobrogic. Geneuense, inclytæ &  
 generosis. indolis PPPrrr. JOHAN-  
 CASIMIRI & FRIDERICI-MAU-  
 RICII FF. Illustris. & Opt. Princip.  
 JOH.-GEORGII Pr. Anhalt. &c. nec  
 non amborum fratris patruelis CHRIS-  
 TIANI, patri suo illustris. & fortis.  
 heroi cognominis PPPrrr. Anhalt. Co-  
 mitum Ascan. DDDnnn. Servestæ  
 & Bernburgi &c. Domino-  
 rum suorum clemen-  
 tissimorum.

*Auctore & Paraphraste*

GREGORIO BERSMANO.

SERVESTÆ

Imprimebat Christophorus Vveida

Anno 1608.





IN ANTIQUISS. ILLUSTRISSI-  
MAMQUE DOMUM ANHALTINAM,  
quæ Ecclesiæ CHRISTI IESU & scho-  
larum est hospitium.

**A** Scane ducta domus, sancto custode sa-  
crorum,

Qui genus Iapeto nobile jaçt at arvo,  
Quiq<sub>3</sub>, Tuisco, tibi tribuit primordia stirpis,  
Salve primævus nobilitatis honos.

Salve ter generosa domus, qua principe gentis  
Saxo sua gaudet, principe Brennus orvat.

Sed neq<sub>3</sub> Saxo nepos, animos licet æquet Olympo,  
Nec Brennus tituli fama secunda tui,

Stirpe sua tantum meruit tibi laudis honorem,  
Quantum Calliope Relligioq<sub>3</sub> dedit.

Musarum loquor hospitium, pietatis asylum,  
Quo trifido clarum nomen in orbe geris.

Hoc erat, antiqui genitoris imagine, flammæ  
Custodire sacras, pandere tecta DEO.

Pandere templa DEO, domus inclyta perge,  
novella

Ut genus amplificet prole subinde tuum.





PSAL. CXXI.

Levavi oculos meos, &c.

**H**ic illuc oculos partes dum verso per omnes,  
Præstolatus opem celo, defixa tenentem  
Lumina me, sanctis in montibus usq; morari  
Obtutu juvat, aspiret dum blanda salutis  
Aura mihi, flatuque ferat mea vota secundo.

2 Stat mea, stat solo fiducia nixa Iehova,  
Qui terræ fabricam, celi que tot extudit orbis.

3 Hic tutela mihi, robur, columenque salutis;  
Hic gressus regit, & vestigia firmat euntis,  
Procidius ne planta pes titubante labascat.  
Insidias hic atque dolos elidat ut hostis,  
In dulcem nunquam declinat lumina somnum,  
Excubijs mihi præsto suis noctesque diesque.

4 Ille Deus, Deus ille, cui, sine munere somni  
Alternò, Isacidum gentem stat cura tueri,  
Fessa soporifera non mulcet membra quiete.

5 Pervigili servans te cura, oculisque, Iehova,  
Est lateris tegmen, capitisque umbella, Iehova.

6 Ne Phoebea urat te lampade flamma diurna,  
Noxia neu feriant nocturnæ spicula lunæ.

7 Incolumem te præstabit salvumque Iehova,  
Protector vitæ, custos laris, & comes, extra  
Sive pedem ponas, intra seu tecta, Iehova,  
Quod fuerat, quod erit, quod nunc est, arbiter ævi.





PSAL. XCI.

Qui habitat in adiutorio altiss. &c.

- 1 **Q**ui se tuendum tradidit custodia  
    Celso tonantis æthere,  
    Is præpotentis sub latèbra numinis  
    Umbraculoq; absconditus,
- 2 Fidentis audet ebrius spe pectoris,  
    Citante pugnam classico,  
    His ultro, pacis atque belli præsidem  
    Iehovam adire; Tu meus,  
    Deus ò, receptus atque propugnaculum,  
    Fiduciaq; es anchora.
- 3 Hæc ille: tu, pari æmulus fidentia,  
    Regem laceffe celitum:  
    Qui te, dolosis explicatum cassibus  
    Venantis, eximet neci;  
    Nec pestilentis improba mali sinet  
    Contagione corripit.
- 4 Qualis tenellam, plumeo sub tegmine,  
    Gallina pullitiem fovet:  
    Sic illius te veritas alis teget,  
    Scutiq; clypei q; objice.
- 5 Hoc protegente, non pavesces, obvios  
    Quæ nocte, spectra, territant;  
    Non pertimesces, quæ volant interdum  
    Crepitante, tela, grandine:
- 6 Non, quæ per umbras cæca grassatur, luem:  
    Non Sole summo demonem.
- 7 Ut ad sinistram mille corruant tuam,  
    Iuxtaq; dena, ad dexteram.

Peremsa.



- Perempta, vitam morte mutant in illa;  
Te stragis haud tanget furor.
- 8 Quin impiorum clade pascas lumina,  
Spectator immunis mali.
- 9 Hæc experimur, quotquot imperterriti  
Omnem in Iehovæ numine  
Spem collocamus; quo nihil sublimius  
Hic orbis, aut majus gerit.
- 10 Haud noxa te, tuamve calamitas domum,  
Vicina sternens, appetet.
- 11 Nam, frena mundi qui tenet, celestium  
Idem angelorum copijs  
Mandata, vitæ de tuæ custodia,  
In muneris cura, dedit.
- 12 Qui bajulantes, qui suæ firmamine  
Suffulciantes te manus,  
Offensus ictu, ne tuum ledat pedem  
Lapis, antè sternent semitam.
- 13 Super leone tutus his ductoribus,  
Gressum feres & aspide:  
Catulos leonis pede preme innoxio,  
Draconis & propaginem.
- 14 His alloquentem namque me verbis, DEVM  
(Nec bruta vox est) audio:  
Quod me colentis præmium sit, omnibus  
Te protegam in periculis.  
Protegitum honore tollam, honos quum nominis  
Te tangit unice mei.
- 15 Mea, invocantis rebus accisis opem,  
Auris patebit ad preces;



*Mea te, malorum jam vorandum gurgite,  
Præstabit incolumem manus.  
16 Aevum jubebo, vivo cum robore,  
Expletus annis, compleas;  
Compos salutis, ac bonorum particeps.  
Beare quæ pios solent.*

## PSAL. CXXV.

Qui confidunt in Domino, &c.

- 1 **N**Ec, solido immoti firmatum robore saxi,  
Sionem rapidis impellent flabra procellis,  
Mole sua nullo labefactum turbinis ictu:  
Nec, fractos animis, recti justiq; tenaces  
Dejiciet vis ulla mali; quibus ultima passis,  
Fortunaq; vices, terraq; poli q; ruinas,  
Nixa, Iehova, tuo fiducia numine perstat.
- 2 **A**rdua ceu Solymen circum dant undique montium,  
Affixamq; jugis, & firma rupe sedentem:  
Haud pejore Iehova suum munimine cætum,  
Flammantis circum muri, castrisq; potentum  
Sæpijt aligerum, nullo non tempore præstò.
- 3 **S**ubtrahet ille jugo sævi sceptroq; tyranni,  
Servitij sorte crudeli, colla piorum;  
Ne probitas, labefacta sui contagibus ævi,  
Nutet, & ad vitij insano ruat impete lapsum,  
Ac studijs opera perversis commodet usum.
- 4 **S**is bonus, ô, felixq; tuis, quos crimine puros,  
Quos legis firmo servantes scita tenore,  
Devia non recto de tramite secla tulerunt,  
Nec pessum vitijs, culpæ fecunda, dederunt;

Hos



Hos patria porrò fooveas bonitate, Iehova.  
5 At quos calle, Iehova, tuo vagus abstulit error,  
Ad scelerum prono rapiens divertia cursu,  
Hos uno simul exscidio mors auferet omnes,  
Supplicium, socia culpa cum gente, luentes.  
Interea pax rura colat, pax ubere gleba  
Isacidum fecundet agros, pax sospitet urbes.

## PSAL. CXXIV.

*Nisi quia Dominus erat in nobis, &c.*

- 1 **N**unc est ovandum, nunc lyra pectine  
Pulsanda læto, lætitia fremens  
Nunc prædicet gens Israëlis;  
Absq; Deo, absq; foret Iehova:
- 2 Ni nos Iehovæ subsidium in malis  
Servasset arctis; nos ope ni sua,  
Servasset; hostis cum coactis  
Viribus irrueret protervus:
- 3 Vivos, atrocem nos rabies fera,  
Spirans furorem, faucibus improbis  
Hausisset: hoc, undæque more,  
Vorticibus caput obruisset.
- 4 Torrens malorum, : præcipiti irruens  
Moles aquarum turbinis impetu,  
5 Atque imbris effusi, baráthro  
Hanc animam involuisset alto.

At,



- 6 At, bellarum dentibus efferis  
Tuæ recepti robore dexteræ,  
Qua laude te tollemus, hosti  
Qui spolium esse vetas, Jehova!  
7 Ceu, fune rupto, protinus aucupis  
Ales cruentas salva fugit manus:  
Sic barbarorum nos solutis  
Effugimus laqueis ruinam.  
8 Nostra est Jehovæ spes sita in unius  
Salute, celi qui fabricam suo  
Terramque verbo procreavit;  
Omnis in hoc opis est potestas.

F I N I S.





Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.


1017











Farbkarte #13

B.I.G.



15

ici IV.

CI LOCO,  
E FAUSTA  
O SEQUENTES  
euense, inclytæ &  
Prrr. JOHAN-  
DERICI-MAU.  
. & Opt. Princip.  
r. Anhalt. &c. nec  
patruelis CHR I-  
llustris. & fortis.  
Prrr. Anhalt. Co-  
Dnnn. Servestæ  
c. Domino-  
n clemen-  
um.

*paraphraste*

ERSMANO.

S T Æ

trophorus Vveida  
608.

